Teſtamento quoque nominatim tutores dati confirmantur eadem lege XII. Tabularum, *Uti* [1] *legaſſit ſuper pecunia, tutelave ſuæ rei, ita jus eſto.* hæc Ulpian. 11. §. 14.

2. Liberis in poteſtate poſitis tutorem a parente dari.

Lege XII. *Tabularum permiſſum* [2] *eſt parentibus, liberis ſuis ſive fœminini, ſive maſculini ſexus, ſi modo in poteſtate ſint, tutores teſtamento dare. l. 1. ff.* de teſtam. tut.

3. De legitimis tutoribus & de legitima adgnatorum tutela.

Quibus teſtamento tutor datus non eſt, his ex [3] *lege* XII. *Tabularum adgnati ſunt tutores qui vocantur legitimi.* Inſtit. de legitima adgnatorum tutela.

Legitimæ tutelæ, lege XII. *Tabularum adgnatis delatæ ſunt & conſanguineis. l. 1. ff.* de legitimis tutoribus.

Per eminentiam legitimi dicuntur, qui ex lege XII. Tabularum introducuntur ſeu propalam ut adgnati: ſeu per conſequentiam, ut patroni. Ulp. 11. §. 3. 4.

4. Tutelam proximos adgnatos nanciſci.

Si plures ſint adgnati, proximus tutelam nanciſcitur [5]. Cajus *l.* 12. ad Edictum Provinciale, in *l.* 9. *ff.* de legit. tutoribus.

5. De legitima patronorum tutela.

Ex eadem lege XII. *Tabularum, libertorum & libertarum tutela ad patronos, liberoſque eorum pertinet*, quæ & ipſa legitima vocatur, non quia nominatim in ea lege de ea tutela caveatur, ſed quia perinde accepta eſt per interpretationem ac ſi legis verbis introducta eſſet. Eo enim ipſo quod hereditates libertorum, libertarumque, ſi inteſtati deceſſiſſent, juſſerat lex ad patronos, liberoſve eorum pertinere, crediderunt veteres, voluiſſe legem etiam tutelam ad eos pertinere. *Inſt. de legitima patron. tutel.*

Tutela legitima, quæ patronis defertur lege XII. Tabularum, non quidem ſpecialiter vel nominatim delata eſt, ſed per conſequentias [6] hereditatum, quæ ex ipſa lege patronis datæ ſunt. *l. 3. ff. de legit. tutoribus.*

6. De legitima [7] fœminarum tutela.

Fœminarum legitimas tutelas lex Claudia [8] *ſuſtulit* [9]. Ulp. 11. §. 8. *in fin.* Moribus tutor datur mulieri quæ cum tutore ſuo lege aut legitimo judicio agere vult. Ulpian. 11. §. 24. Mulieres omnes, propter infirmitatem conſilii, majores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt. Cicero *pro Muræna.* Majores noſtri nullam, ne privatam quidem rem, agere fœminas ſine auctore voluerunt: ſed in manu eſſe parentum, fratrum, virorum [10]. *Livius* 34. In officiis apud majores ita obſervatum, ut pupillaris tutela muliebri præferatur. Maſſurius 3. *juris civilis* apud Gell. 5. *c.* 13.

7. De Curatoribus & de Curatore furioſi.

Emancipati furioſis fratribus & ſororibus lege [11] XII. Tabularum legitimi curatores erant *l.* 5. *Cod. de curator. furioſ.*

Lex eſt, *ſi furioſus eſt, agnatorum, gentiliumque* [12] *in eo pecuniaque ejus poteſtas eſto.* Cic. 2. *de inventione.*

Qui ita ſit affectus, eum dominum eſſe rerum ſuarum vetant XII. Tabulæ, itaque non eſt ſcriptum ſi inſanus, ſed, *ſi furioſus eſſe incipit.* Cic. 3. *Tuſculan.*

Lex XII. *Tabul. furioſum in curatione jubet eſſe agnatorum* 12. Ulp. 3.

Furioſi, licet majores vigintiquinque annis ſint, tamen in curatione ſunt adgnatorum ex lege XII. Tabularum.

8. De curatore prodigi.

Lege XII. *Tabularum prodigo* [13] *interdicitur* [14] *bonorum ſuorum adminiſtratio.* Ulp. *lib.* 1. ad Sabinum in *l.* 1. de curatoribus furioſo & aliis.

Prodigi, licet [15] *majores vigintiquinque annis ſint, tamen in curatione ſunt adgnatorum* ex lege XII. Tabularum. §. 3. Inſt. de curatoribus.

Lex XII. *Tabularum prodigum, cui bonis interdictum* [16] *eſt, in curatione jubet eſſe cognatorum* 12. Ulp. 12.

9. De ſuſpectis tutoribus.

Suſpecti crimen *ex legibus* XII. *Tabularum* [17] *deſcendit.* Ulpianus *l.* 1. §. 2. *ff.* de ſuſpectis tutoribus: Inſt. de ſuſpectis tutoribus.

Atque iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus, *ut tutela* XII. Tabulis. Cic. 3. *offic.*

10. De tutelæ actione in duplum.

Si ipſi tutores rem pupilli furati ſunt, videamus *an ea actione quæ proponitur ex lege* XII. *Tabularum adverſus tutorem in* [18] *duplum ſinguli in ſolidum teneantur*, & quamvis unus duplum præſtiterit, nihilominus etiam alii teneantur &c. *l.* 55. §. 1. *ff. de adminiſt. tutor.*

TIT. XIX.

De teſtamentis & legatis.

1. De libera [19] teſtandi facultate.

OLim lege XII. Tabul. libera erat legandi poteſtas, ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare, quippe cum ea lege [20] ita cautum eſſet, *Uti quisquam legaſſit ſuæ rei, ita jus eſto.* Inſt. de lege Falcid. *in princ.*

Uti quisquam legaſſit de re ſua, ita jus eſto. Nov. 22. c. 2.

Verbis legis XII. Tabularum his, *Uti legaſſit ſuæ rei, ita jus eſto*, latiſſima poteſtas tributa videtur & heredis inſtituendi, & legata & libertates dandi, & tutelas quoque conſtituendi: ſed id interpretatione coanguſtatum eſt vel legum, vel autoritate jura conſtituentium, *l.* 120. *ff. de verb. ſignif.*

Uti legaſſit ſuper pecunia, tutelave ſuæ rei ita jus eſto. 11. Ulpian. 12.

Paterfamilias uti ſuper familia, pecuniave ſua legaſſit, ita jus eſto. Autor *ad Herenn.* 1.

2. Lege adquiri quod legatum eſt.

Lege nobis adquiritur legatum [21] *ex lege* XII. *Tabularum* 19. Ulp. 17.

3. Suos nominatim inſtitui & exheredari a patre & avo paterno oportere.

Emancipatos jure civili [22] *neque heredes inſtituere neque exheredare neceſſe eſt, quia non ſunt ſui.* §. 3. Inſt. de exhered.

4. Mater, avusque maternus neceſſe non habent nominatim inſtituere aut exheredare.

Neque matri filium, filiamve neque avo materno nepotem, neptemve ex filia, ſi eum eamve heredem non inſtituat, exheredare neceſſe eſt, ſive de jure civili quæramus, ſive de edicto Prætoris. §. *ult. in fin. Inſt. de exheredatione.*

5. Hereditates teſtamentarias lege XII. Tabularum confirmari.

Lege obvenire hereditatem non improprie quis dixerit & eam quæ ex teſtamento debeatur: *quia lege* XII. *Tabularum teſtamentariæ hereditates confirmantur. l.* 130. *ff.* de verbor. ſignif.

6. De teſtamento per æs ac libram.

Ex iisdem Tabulis id quoque eſt, *Quæ ſi erit* [lege *qui ſe ſierit* [23]] *teſtatior* [lege *teſtarier* [24]] *libripenſve* [25] *fuerit in teſtimonium* [quidam legunt *ni teſtimonium*] *feriatur* (quidam legunt *fariatur* [26]) *improbus* (quidam ita legunt *improbus quibus*: alii *improbus quoivis*: alii *improbus civis*) *inteſtabilisque* [27] *eſto.* hæc Gell. 15. *c.* 13. *in fin.* idque ita emendavit Cujacius *ad titul. Inſt. de teſtam. ordinand.* ex Codice in bibliotheca Johannis Biturigum ducis reperto.

7. Teſtamentum uno eodemque tempore & contextu perficiebatur teſtibus præſentibus.

Conſtitutum eſt *ut uno eodemque tempore quod jus civile quodammodo exigebat, teſtamentum fieret. & poſt*, ita ut teſtes quidem & eorum præſentia uno contextu celebrandi teſtamenti gratia, a jure civili deſcendant: ſubſcriptiones autem teſtatoris & teſtium ex ſacrarum conſtitutionum obſervatione adhibeantur: ſignacula autem & teſtium numerus [28], ex edicto Prætoris. §. 3. *Inſt. de teſtam. ordinand.*

Eos qui in utero ſunt, ſi nati ſui heredes nobis futuri ſunt, poſſumus inſtituere heredes, ſiquidem poſt mortem noſtram naſcantur, ex jure [29] civili: ſi vero viventibus nobis ex lege Julia. Ulpian. 12. §. 19.

TIT. XX.

De hereditatibus ab inteſtato.

1. Jus inteſtati legibus XII. Tabularum anguſtum.

ANguſtiſſimis finibus conſtitutum per legem XII. *Tabul. jus percipiendarum hereditatum Prætor ex æquo & bono dilatavit.* §. 2. Inſt. de bonorum poſſeſſ.

2. De ſuis & legitimis heredibus & de liberis in poteſtate poſitis.

Inteſtatorum hereditates ex lege XII. Tabularum *primum* [30] *ad ſuos pertinent* [31] §. 1. Inſt. de hered. quæ ab inteſtato.

3. De emancipato.

Emancipati liberi jure civili nihil juris habent, neque enim ſui heredes ſunt, qui in poteſtate patris eſſe deſierunt, neque ullo alio jure per legem XII. *Tabularum vocantur.* ſed Prætor æquitate naturali

1 Quidam ita legunt, *Paterfamilias ut legaſſit &c.* adde autorem ad Herenn. *lib.* 1. 2 §. 3. *Inſt. de tutelis.* 3 Hoc innuit legitimos tutores a nullo dari, ſed lege 12. Tabularum fieri. *l.* 5. *ff. de legit. tutorib.* 4 Adde *l.* 1. *C. de legitima tutela.* 5 Cujacius 10. *obſerv.* 11. motus hac unica voce putat legem 12. Tabularum ita conceptam fuiſſe, Agnatus proximus familiam nancitor, conſtat enim ex Feſto verbum Nancitor pertinuiſſe ad 12. Tabulas. Feſtus in *Nancitor.* Nancitor in 12. tabulis, id eſt nactus erit. 6 Vid. 11. *Ulpian.* 3. 7 Adde quæ ſcripſi in *Epitome Feudorum. Tit. per quas perſonas fiat inveſtitura.* 8 *l.* 3. *C. de legit. tutela.* 9 Suſtinet. 10 Hunc locum ita accipe, Mulieres filiasfamilias in poteſtate patrum ſuorum fuiſſe: nuptas in virorum manu: orbas innuptas, in fratrum tutela. 11 Facit *l.* 7. §. 6. *C. de curat. furioſ. l.* 27. *verſ. ſin autem. C. de Epiſcop. audientia.* 12 Interpretationem hujus loci vide in *l.* 53. *ff. de verb. ſignific.* Quid autem gentilis v. Feſtum, Ciceronem *in Topicis.* Erant autem gentiles, qui non tantum generis, ſed & nominis, ejuſdem, qui ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo ſervitutem ſervivit, qui capite non ſunt deminuti. Omnes agnati gentiles: at non omnes gentiles agnati: Alio ſenſu gentiles apud Ammianum. 13 Prodigus ita definitur, qui neque tempus, neque finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilacerando & diſſipando profundit. *l.* 1. *ff. de curatoribus.* Cajus prodigos vocat everſores. 1. *cap. ult.* 14 Hoc jure Cajus quidam Licinius cognomento Hoplomachus a Prætore poſtulavit, ut patri ſuo bonis, tanquam ea diſſipanti, interdiceretur. *Valerius* 8. Hinc illa formula interdicendi apud Paulum 3. *ſentent.* 4. §. 7. Quando bona tua paterna avitaque nequitia tua diſperdis, liberosque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico. huc referenda eſt *l.* 18. *ff. qui teſtamenta.* quæ negat eum cui lege bonis interdictum ſit, teſtamentum facere poſſe. lege, id eſt 12. Tabularum: & lex 5. *in fin. ff. de adquir. heredit.* qua lege bonis interdictus heres inſtitutus, hereditatem adire poteſt. *l.* 5. *in fin. ff. de adquir. vel omitt. heredit.* Et *l.* 6. *ff. de verbor. obligat.* quæ eidem interdicto poteſtatem facit ſtipulandi. 15 *l.* 16. *ff. de curatorib.* 16 Moribus per Prætorem bonis interdicebatur hoc modo: Quando bona tua paterna avitaque nequitia tua diſperdis, liberosque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re, eoque commercio interdico. Paul. 3. *ſent.* 4. §. 7. 17 Vide Platonem 11. *de legibus.* 18 Scævola de tutelæ judicio apud Cicer. 1 *de Oratore, Alter*, inquit, *plus lege agendo petebat, quam quantum lex in* 12. *Tabulis permiſerat.* Hujus dupli damnationis veſtigium extat *in leg.* 1. *ff. de his qui notantur: l.* 42. *ff. de verbor. ſignific.* 19 *Adde* Harmen. 1. tit. 1. 20 Ad hanc legem accommodata eſt lex Falcidia his verbis: *Qui cives Romani ſunt, qui eorum poſt hanc legem rogatam teſtamentum facere volet, ut eam pecuniam, easque res quibusque dare legare volet ita jus eſto.* & ſecundo capite: *Quicunque civis Romanus poſt hanc legem rogatam teſtamentum faciet, is quantam cuique civi Romano pecuniam jure publico dare legare volet, jus poteſtasque eſto: dum ita detur legatum ne non minus quam quartam partem hereditatis eo teſtamento heredes capiant. Eis quibus quid ita datum, legatumve erit, eam pecuniam ſine fraude capere liceto: isque heres, qui eam pecuniam dare juſſus damnatus erit, eam pecuniam debeto dare, quam damnatus eſt. l. 1. ff. ad l. Falcid.* 21 *l.* 47. *in fin. ff. de peculio. l.* 120. *ff. de verb. ſignific.* 22 Id eſt, legibus 12. Tabul. 23 Id eſt, ſiverit, id eſt, permiſerit: alii legunt *ſirit.* Cujacius 9. *obſerv.* 10. ſic apud Plaut. in *Curculione. Pœnulo, Trinum. Bacchid.* 24 Id eſt, in teſte cieri μαρτυρηθῆναι, vel ita, ſi nolit fidem teſtamenti approbare, cogendum: ac deinceps pro improbo & inteſtabili habendum. Harmenopulus 1. *tit.* 6. *cap.* περὶ κεκωλυμένων refert: lege prohiberi in teſtamento teſtem eſſe, qui cum ſe alicujus teſtamento ſubſcripſerit, teſtimonium tamen ferre non ſuſtinuerit: qui ne lege quidem ut teſtimonium ferat compellitur, ſed tamen prohibetur in altero teſtamento ferre teſtimonium, quin & teſtari, & ex alieno teſtamento quidquam percipere. Idem refert Theophilus *Inſt. de teſtamentis ordinandis.* Inteſtabilis igitur eſt qui neque ex teſtamento capere, neque in teſtamento teſtis, ſed & qui ab omnibus nexus & mancipiorum ſolennibus ſic arcetur, ut nunquam vel ejus recipi, vel ei teſtimonium dici poſſet, atque ita inteſtabilis Plauto *in Milite glorioſo.* 25 Teſtamentum innuit, quod per æs & libram fiebat. de quo vid. §. 1. *Inſt. de teſtament. ordin.* 15. Gell. 27. Ulp. 20. §. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. His adde quod Priſcianus *lib.* 8. refert impuberem libripendem eſſe non poſſe, neque anteſtari, eoque loco Anteſtari paſſive intelligi. de Anteſtatione dixi ad *tit. de Judiciis* 5. 26 Vocabulum priſcum, *fariar* enim veteribus pro fari, ſic veteres *aggrediri* pro aggredi: moriri, pro *mori.* Plauto in *Trucul. & Rudente*, F. Hotomanus vir clariſſimus legit *fateatur.* 27 Vid. §. 6. *Inſt. de teſtam. ordin.* 28 Alius teſtium numerus requiritur ex 12. Tabulis: alius ex conſtitutionibus: ex 12. Tabul. quinque ſufficiebant. §. 1. *Inſt. de teſt. ord.* Ulp. 20. §. 2. Ex conſtitutionibus; ſeptem. §. 3. *Inſt. de teſtament. ord.* 29 Id eſt lege 12. Tabularum, quod jus antiquum a Scævola dicitur. *l.* 29. §. 7. *ff. de liberis & poſthum.* habita ratione legis Velleiæ.

30 2. *feud.* 11. 31 Quid ſi abſtinere voluiſſent? lege 12. Tabularum erant neceſſarii, id eſt, ſive noluiſſent ſive voluiſſent tam ab inteſtato quam ex teſtamento heredes erant, ſed his volentibus Prætor permiſit abſtinere. §. 2. *Inſt. de hered. qualit.*

motus, dat eis bonorum poſſeſſionem, unde liberi §. 9. *Inſtit. de hered. quæ ab inteſtato.*

4. De nepotibus ex filio [1] præmortuo.

Lex XII. *Tabularum filio mortuo nepotem vel neptem: pronepotes vel proneptes in locum patris ſui ad ſucceſſionem avi vocat.* §. 11. *in fin.* Inſt. de hered. quæ ab inteſt.

5. De eo qui in utero.

Ex lege [2] XII. Tabularum ad legitimam hereditatem qui in utero fuit, admittitur, ſi fuerit editus. Inde ſolet remorari inſequentes ſibi adgnatos, quibus præfertur ſi fuerit editus. Inde & partem facit his qui pari gradu ſunt, ut puta frater unus eſt & uterus: vel patrui filius unus natus & qui in utero eſt. *l.* 3. §. *utique* 9. *ff. de ſuis.*

6. De liberis matri ſuccedentibus.

Lex XII. Tabularum ita ſtricto jure utebatur & præponebat maſculorum progeniem & omnes qui per fœminini ſexus neceſſitudinem ſibi junguntur, adeo expellebat, *ut ne quidem inter* [3] *matrem & filium, filiamve ultro citroque hereditatis capiendæ jus daret*, niſi quod Prætores ex proximitate cognatorum, eas perſonas ad ſucceſſionem bonorum, poſſeſſione unde cognati adcommodata, vocabant, Inſt. de ſenatuſc. Tertul. *in princ.*

7. De filiabus & liberis fœminini ſexus patri ſuccedentibus.

Lege antiqua XII. *Tabularum omnes* [4] *ſimiliter ad ſucceſſionem ab inteſtato vocabantur.* quod & Prætores ſequuti eſſe videntur: ideo ſimplex ac ſimile jus & in filiis & in filiabus &c. §. 5. *Inſt. de exhered. liber.*

8. De uxore in manu viri & nuru quæ in filii manu.

Inteſtatorum hereditates lege XII. Tabularum primum ad ſuos heredes pertinent: ſui autem heredes exiſtimantur liberi qui in poteſtate morientis fuerint, veluti filius filia, *& poſt.* Idem & in cæteris deinceps liberorum perſonis datum intelligimus. *Uxor* [5] *quoque quæ in manu ejus eſt, quæ filii loco eſt. ita nurus, quæ in filii manu eſt: nam & hæc neptis loco eſt. ſed ita demum erit ſua heres, ſi filius cujus in manu erit, dum pater moritur in poteſtate ejus non ſit. Idemque dicimus & de ea quæ in nepotis manu matrimonii cauſa ſit.* Gajus 3. *Inſtitutionum* apud Ruffinum *tit.* 16. *collationis leg. Moſaicarum.*

9. De legitima adgnatorum & cognatorum ſucceſſione.

Agnatus agnato mortuo ſuccedit.

Si paterfamilias moritur, familia, pecuniave ejus agnatorum [6] *gentiliumque eſto.* Autor *ad Herennium* 1. & 2. *de invent.*

10. Agnatus agnato ſine liberis mortuo ſuccedit.

Si nullus ſit ſuorum heredum, tunc hereditas pertinet ex eadem lege XII. *Tabularum ad agnatos.* Gajus 3. *Inſtitutionum* apud Ruffinum *titul.* 16. *collationis legum Moſaicarum.*

11. Non quivis agnatus ſuccedit ſed proximus.

Aſt ſi inteſtatus [7] *moritur, cui ſuus* [8] *heres nec extabit, proximus familiam* [9] *habeto.* 26. Ulp. 1. *His cautum eſt lege* XII. *Tab. ſi inteſtatus moritur cujus heres nec eſt, agnatus proximus* [10] *familiam habeatur* [11] (legendum *habeat*) Ulpianus libro ſingulari ſub titulo de legitimis hereditatibus apud Ruffinum *tit.* 16. *collationis legum Moſaicarum.*

Si nemo ſuus heres, vel eorum quos inter ſuos heredes Prætor vel conſtitutiones vocant, exiſtat, qui ſucceſſionem quoquo modo amplectatur, tunc ex lege XII. Tabularum *ad agnatum proximum pertinet hereditas.* Inſtit. de legitima agnat. ſucceſ. *in princ.*

Si plures ſint gradus adgnatorum, lex XII. Tabularum *proximum vocat.* §. 5. Inſtit. de legitima agnat. ſucceſ.

12. Adgnatus proximus dicitur etiam is qui ſolus eſt adgnatus.

In vulgari ſubſtitutione qua ei qui ſupremus morietur, heres ſubſtituitur, recte ſubſtitutus etiam unico intelligitur, *exemplo legis* XII. *Tabularum, ex quibus proximus adgnatus & ſolus habetur, l.* 162. *ff.* de verborum ſignificatione.

13. Ut quis proximus dicatur, mortis defuncti tempus ſpectatur.

Non omnibus ſimul adgnatis dat lex XII. *Tabularum hereditatem, ſed his qui tunc cum certum eſt aliquem inteſtato* [12] *deceſſiſſe, proximo gradu ſunt.* Gajus *apud Ruffinum dicto loco.*

14. Sororibus defuncti excludi ulteriores adgnatos.

Si ſui heredes non ſint, ad conſanguineos, id eſt fratres & ſorores ex eodem patre: ſi nec hi ſunt, ad reliquos cognatos virilis ſexus per mares deſcendentes ejusdem familiæ, inteſtati hereditas pertinet. his enim cautum eſt lege XII. [13] *Tabularum &c.* Ulpianus *libro ſingulari ſub titulo de legitimis hereditatibus* apud Ruffinum *titul.* 16. *Collationis legum Moſaic.*

Noſtræ hereditates ad fœminas ultra [14] *conſanguineorum gradum non pertinent. Itaque ſoror fratri ſororive, legitima heres eſt. Amita vero & fratris filia, heres eſſe non poteſt.* Gajus apud Ruffinum *d. titul.* 16.

Soror jure conſanguinitatis, tam ad fratris quam ad ſororis hereditatem admittitur. Paulus 7. *ſententiarum, ſub titulo De teſtamentorum ſucceſſionibus*, apud eundem Ruffinum *dicto tit.* 16 [15].

15. Poſt fratres & ſorores defuncti ſuccedunt agnati.

Si nec hi (id eſt conſanguinei), ad reliquos cognatos virilis ſexus per mares deſcendentes ejuſdem familiæ, hereditas redit. hoc enim cautum eſt lege XII. *Tabularum.* Ulpianus *ſub Titulo de legitimis hereditatibus*, apud eundem Ruffinum *d. tit.* 16.

16. Poſt agnatos ſuccedunt gentiles.

Si nullus agnatus ſit, eadem lex XII. *Tabularum gentiles ad hereditatem vocat.* Gajus 3. *Inſt.* apud Ruffinum *dicto titulo* 16.

Si agnatus defuncti non ſit, eadem lex XII. *Tabularum gentiles ad hereditatem vocat, his verbis, Si gnatus* (lege *agnatus*) *neſcit* [16] (lege *nec ſit*) *gentiles familiam heres hanc*, (*familiam herciſcant*, Oiſellus, *familiam habeant*, P. Pithœus) nunc nec gentilitia jura in uſu [17] ſunt. hæc Ulpianus *libro ſingulari ſub Titulo de legitimis hereditatibus* apud eundem Ruffinum *d. loco.*

17. De his qui ſunt ejusdem gradus.

Si plures eodem gradu conſiſtunt, ſimul admittuntur. Paulus 7. *ſent.* apud Ruffinum *d. loco.*

18. Si cum fratribus defuncti fratres alterius filii vel nepotes concurrunt.

Si plures ſint gradus agnatorum, aperte lex XII. *Tabularum proximum vocat. Itaque ſi ſint defuncti frater & alterius* [18] *fratris filius aut patruus, frater ſolus habetur* [19]. *d.* §. 5. Inſtit. de legitima agnatorum.

19. Duorum fratrum filii ſuccedunt in capita.

Si defuncti nullus frater exſtet, ſed ſint liberi fratrum, ad omnes quidem hereditas pertinet: ſed quæſitum eſt, ſi diſpari numero ſint, forte nati ex uno unus vel duo: & ex altero tres aut quatuor, utrum in ſtirpes dividenda ſit hereditas, ſicut inter ſuos heres juris eſt, an potius in capita. Jamdudum autem placuit [20] *in capita dividendam hereditatem. Itaque quotquot erunt ab utraque parte perſonæ, in tot portiones ſuccedunt.* Gajus 3. *Inſt.* apud Ruffinum *d. loco in fin.*

Si duorum fratrum ſint liberi, non in ſtirpes ſed in capita hereditas diſtribuitur, ſcilicet ut pro numero ſingulorum viritim diſtribuatur hereditas. Paulus apud eundem Ruffinum *dicto loco.*

Omnes fratrum filii patruo ſuo ab inteſtato ſuccedunt, *non in ſtirpes, ſed in capita.* Gajus 2. *Inſtit.* 8. §. *penult.*

20. De decimo gradu adgnationis.

Agnationis jure aliquem admitti ad hereditatem etiamſi decimo gradu ſit, ſive de lege XII. *Tabul. ſive de edicto &c.* §. 5. Inſtit. de ſucceſſione cognatorum.

21. De adgnatis capite minutis.

Adgnati capite diminuti [21] *quique ex his progeniti ſunt, ex lege* XII. *Tabularum inter legitimos non habentur: ſed a Prætore tertio ordine vocantur.* §. 1. Inſt. de ſucceſſione cognatorum.

22. De fœminis.

Lex XII. *Tabularum nulla diſcretione ſexus cognatos admittit.* Paul. 4. *ſentent.* 8. §. 3.

Lex XII. *Tabularum ſimplicitatem legibus amicam amplexa, ſimili modo, omnes adgnatos ſive maſculos ſive fœminas cujuſcunque gradus, ad ſimilitudinem ſuorum invicem ad ſucceſſionem vocabat.* §. 3. Inſtit. de legitima agnatorum ſucceſſione [22].

23. De agnatis & cognatis capite minutis.

Legitimæ hereditatis jus quod ex lege XII. *Tabularum deſcendit, capitis minutione amittitur.* 27. Ulpian. 5.

24. De ſucceſſione libertorum & jure patronatus.

De Patrono ejusque liberis.

Si liberti inteſtati deceſſerint, nullo [23] *liberorum relicto, jus quod erat ex lege* XII. *Tabularum integrum reſervavit.* §. 3. Inſtit. de ſucceſſione libertorum.

Hereditatem libertorum, ſi inteſtati deceſſiſſent, juſſerat lex ad patronos, liberoſve eorum pertinere. Inſtitut. de legitima patronorum tutela.

25. De patrona.

Si libertinus eſt vel libertina, ad patronum ejus legitima hereditas, patronamve [24], *lege* XII. *Tabularum refertur.* Ulpian. *d. titul.* 16. apud Ruffinum.

26. De liberto remancipato.

Si is qui deceſſit liber fuit, ex remancipatione manumiſſus, lex quidem XII. *Tabularum manumiſſori legitimam hereditatem detulit.* Sed Prætor æquitate motus decem perſonas cognatorum ei prætulit has, ſcil. patrem, matrem, filium, filiam, avum, aviam, nepotem, neptem, fratres, ſorores: ne quis occaſione juris, ſanguinis neceſſitudinem vinceret. Sed Imperator noſter in hereditatibus quæ ab inteſtato deferuntur, eas ſolas perſonas voluit admitti, quibus decimæ immunitatem tribuit: Ulpian. *d. loco.*

27. Si patronus libertum capitis accuſavit.

Qui libertum capitis accuſavit, ad legitimam hereditatem quæ ex lege XII. *Tabularum defertur, non admittitur. l.* 10. *l.* 11. *ff.* de jure patronatus.

28. De ſucceſſionibus quæ fiebant per bonorum venditionem.

Æris confeſſi [25] *rebusque* [26] *jure judicatis, triginta* [27] *dies juſti* [28]

1 Vid. *l.* 3. *C. de ſuis & l.* 2. *d. tit.* 2 Adde *l.* 4. *C. de legitimis.* 3 Ad liberos matris inteſtatæ hereditas ex lege XII. Tabularum jure non pertinebat: quia fœminæ ſuos heredes non habent. ſed poſtea Antonini & Commodi oratione in ſenatu recitata, id actum eſt, ut ſine in manu conventione, matrum legitimæ hereditates ad filios pertineant excluſis conſanguineis & reliquis agnatis. 4 Vid. *l.* 14. *C. de legit. hered.* §. 3. verſ. *& hæc quidem. Inſt. de legit. adgnat. ſucc.* 5 Vid. Ulp. 22. §. 14. *in fin.* 6 Extat hujus legis fragmentum in *l.* 53. *ff. de verbor. ſignif.* ſæpe, inquit, comparatum eſt, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur: & disjuncta pro conjunctis: interdum ſoluta pro ſeparatis. Nam cum dicitur apud veteres *agnatorum gentiliumque*, pro ſeparatione accipitur. 7 *l.* 9. §. 2. *ff. de liberis & poſthum.* 8 *l.* 7. *ff. de bonis damnat.* 9 *l.* 195. *ff. de verb. ſignif.* 10 Homo ſi deceſſerit & filios non habuerit, dabitis hereditatem proximo eorum de tribu ejus, & poſſidebit omnia ejus. *Numerorum* 27. 11 Familiæ appellatio qualiter accipiatur videamus & quidem varie accepta eſt. nam & in res & in perſonam deducitur: in res, ut puta in lege XII. Tabularum his verbis: *Agnatus proximus familiam habeto.* Hæc Ulpianus in *l.* 195. §. 1. *ff. de verb. ſign.* 12 Facit lex *ult.* §. 8. *C. de curat. furioſ.* §. 6. *Inſt. de legitima adgnat. ſucceſſ.* 13 Quod & jus exploratum dicitur. *l.* 3. *C. de legitimis.* Jus XII. Tabularum in *l.* 14. §. *ult. d. titul.* 14 §. 3. *verſ. quod ad fœminas. Inſtit. de legit. adgn. ſucceſ.* idque lege Voconia Paul. 4. *ſent.* 8. §. 3. 15 *Adde* eundem Paulum 4. *ſent.* 8. §. 3. & Ulpian. 26. §. 6. 16 Sic apud Feſtum, *in nec*, aſt ei cuſtos nec ſit. 17 Inteſtatorum hereditas lege XII. Tabularum primum ſuis heredibus, deinde agnatis & aliquando quoque gentibus deferebatur. Paul. 7. *ſentent. apud eundem Ruffinum d. tit.* 16. Gajus *libro* 3. *apud eundem Ruffinum.* Illic, inquit, admonuimus gentilitium jus in deſuetudinem abiiſſe. 18 Frater filio fratris: vel eo non exiſtente, nepoti præfertur. Paul. 4. *ſentent.* 8. §. 2. Idem *lib.* 7. *ſentent. apud Ruffinum d. tit.* 19 Hodie non habetur potior. *Novell.* 127. ut fratrum filii ſuccedant pariter ad imitationem fratrum. 20 Videtur hoc jus ſucceſſionis ex interpretatione prudentum fluxiſſe. de qua re dixi ad *Novell.* 118. *cap.* 3. *in fin.* 21 Vid. Ulp. 27. §. 5. 22 Adde *l.* 4. *C. de legitimis heredib.* 23 Vid. Ulp. 29. §. 1. 24 10. Ulp. 4. 6. 7. 25 Id eſt, de quo facta confeſſio eſt. 15. Gell. 13. *in fin.* in jure, vid. *l.* 4. *C. de repud. hered.* 26 Ærisque debiti judicatis. *Ravard.* 27 Id eſt, unus menſis. Ex conſtitutionibus judicati faciendi tempus eſt duorum menſium. hodie quatuor menſium. *l.* 2. *C. de uſuris rei judicatæ. l.* 2. *C. Th. de uſuris rei judic.* 28 Dies juſti hic appellantur ea forma, qua Feſtus, *in Juſtos dies*, Juſtos dies appellat, dies triginta quibus exercitu imperato, vexillum in arce ponebatur.

ſunto. Poſt deinde[1] *manus injectio eſto, in jus ducito, ni judicatum facit*[2], *aut qui*[3] *pſeudo eo in jure vim dicit*[4] *ſecum ducito, vincito aut nervo*[5] *aut compedibus quindecim pondo, ne*[6] *minore: aut ſi volet, majore vincito. Si volet, ſuo vivito. Ni ſuo vivit, qui eum vinctum habebit, libras*[7] *farris in*[8] *dies dato. erat autem jus interea paciſcendi: ac niſi pacti*[9] *forent, habebantur in vinculis dies ſexaginta*[10]. *Inter eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in comitium producebantur, quantaque pecunia judicati eſſent, prædicabatur, Tertiis nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tyberim peregre venum ibant. Verba legis* XII. *Tabularum ea erant, Tertiis nundinis, parteis ſecanto: ſi plus minusve ſecuerunt, ſine fraude eſto.* Hæc Gell. 20. c. 1.

Hanc legem ita reſtituit Joſephus Scaliger apud Feſtum in nervum.

Æris confeſſei rebusque jure joudicateis, XXX. *dies juſtei ſunto, Poſtidea indumanus jacito, eſto, in jous ducito, nec judicatum facit, aut qui pſeudo joure vindicit, ſecum ducito, vincito aut nervo, aut compedibus, quindecim pondo ne minore: aut, ſei volet majore vincito, ſei volet ſuo vivito: Nei ſuo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato, ſei volet plus dato.* Hæc quæ ſequuntur a Ræwardo adjecta ac reſtituta. *Ni cum eo pacit ſexaginta dies in vinculis retineto. Trinis nundinis continuis in Comitium procitato, æriſque æſtimiam judicati prædicato. Tertiis nundinis pœnas capite luito, aut trans Tyberim peregre venum ito. Aſt ſi pluſes eſunt rei, tertiis nundinis partes ſecanto: ſi plus minusve ſecueſunt, ne ſi fraude eſto. boc loco: Neſi pro ſine a veteribus uſurpatum.*

TIT. XXI.

De hereditariis actionibus.

1. Ut mortuo debitore ejus heredes conveniantur non legatarii.

C*Reditores hereditarios adverſus legatarios non habere perſonalem actionem convenit, quippe cum evidentiſſime lex* XII. *Tabularum heredes huic rei faciat obnoxios.* l. ult. C. de hereditariis actionibus.

2. Actiones hereditarias inter coheredes dividi.

Defuncto creditore, multis relictis heredibus, *actionem perſonalem inter eos ex lege* XII. *Tabularum dividi.* l. 1. C. ſi unus ex pluribus heredibus. Obligatio dividitur per legem XII. Tabularum *l.* 25. §. 13. *ff.* familiæ.

3. Actiones hereditarias dividi inter coheredes pro portionibus hereditariis.

Ea quæ in nominibus ſunt, non recipiunt diviſionem, cum ipſo jure in portiones[11] *hereditarias ex lege* XII. *Tabularum diviſæ ſint.* l. 6. C. familiæ.

TIT. XXII.

1. De poſſeſſionibus & interdicto uti poſſidetis.

GEllius 20. *c.* 9. *Ex jure manu conſertum* verba ſunt ex antiquis actionibus: quæ cum lege agitur & vindiciæ contenduntur, dici nunc quoque apud Prætorem ſolent. *& poſt, ex Ennio.* Non ex jure manu conſertum, ſed mage ferro Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolida vi. *& poſt,* Manum conſerere, eſt de qua re diſceptabatur in re præſenti, ſive ager, ſive quid aliud eſt, cum adverſarium ſimul manu prehenderet, in ea re omnibus verbis *vindicare*: id eſt vindicia[12] correpta manu in re atque in loco præſenti, apud Prætorem ex XII. Tabulis fiebat. in quibus ita ſcriptum eſt, *Si qui in*[13] *jure manum conſerunt.* Sed poſtquam prætores propagatis Italiæ finibus, datis jurisdictionibus negotiis occupati, paciſci (lege proficiſci) vindiciarum dicendarum cauſa longinquas res[14] gravabantur, inſtitutum eſt contra XII. Tabulas tacito conſenſu, *ut litigantes non ex jure apud Prætorem manum conſererent, ſed ex jure manu conſertum vocarent*[15]: id eſt, alter alterum ex jure ad conſerendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret. Atque profecti ſimul in agrum de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, uti unam glebam, in jus in urbem ad Prætorem deferent: & in ea gleba[16], tanquam in toto agro vindicarent. Idcirco Ennius ſignificare volens bellum, non ut ad Prætorem ſolitum eſt, legitimis actionibus, neque ex jure manu conſertum: ſed bello ferroque, & vera vi atque ſolida: quod videtur dixiſſe conferens vim illam civilem & feſtucariam, quæ verbo diceretur, non quæ manu fieret cum vi bellica & cruenta. Hæc Gellius ad verbum.

2. Si judex falſam vindiciam in cauſa libertatis tulerit.

Vindiciæ[17] appellantur res eæ, de quibus controverſia eſt, quod potius dicitur jus, quæ ſit inter eos, qui contendunt. *& poſt,* De quo verbo Cincius ſic ait, Vindiciæ olim dicebantur illæ, quæ ex fundo ſumptæ: in jus adlatæ erant. At Ser. Sulpicius* jam [*lege* nomine etiam] ſingulariter formato vindiciam eſſe ait [*lege* rem] qua de re controverſia eſt ab eo quod vindicatur; & in XII: *Si vindiciam falſam tulit** (lege *rei*) *ſi velit is* (lege *ſive*[18] *litis*) *arbitros tres* (quidam legunt *tot arbitros æris*) *dato, eorum arbitriis fructus* (quidam legunt *fructi*) *duplione*[19] *damnum decidito.* Hæc Feſtus *in voce Vindiciæ.*

Initium fuiſſe ſeceſſionis dicitur Verginius quidam qui cum animadvertiſſet Appium Claudium *contra jus, quod ipſe ex vetere jure in* XII. *Tabulas tranſtulerat, vindicias ſuas a ſe abdixiſſe,* & ſecundum eum, qui in ſervitutem ab eo ſuppoſitus petierat dixiſſe: captumque amore virginis omne fas ac nefas miſcuiſſe, indignatus, quod *vetuſtiſſimæ juris obſervantia,* in perſona filiæ ſuæ defeciſſet, utpote cum Brutus, qui primus Romæ conſul fuerat, *vindicias*[20] *ſecundum libertatem dixiſſet,* in perſona Vindicis[21] Vitelliorum ſervi, qui proditionis conjurationem indicio ſuo detexerat, & caſtitatem filiæ, vitæ quoque ejus præferendam putaret: arrepto cultro de taberna lanionis, filiam interfecit. Hæc Pomponius *in l.* 2. §. 24. *verſ. initium. ff. de origine juris.*

Appius Claudius M. Claudio clienti negotium dedit, ut virginem in ſervitutem aſſereret, neque cederet *ſecundum libertatem poſtulantibus vindicias:* quod pater puellæ abeſſet, locum injuriæ eſſe ratus. Virgini venienti in forum miniſter manum injecit, ſerva ſua natam, ſuamque ſervam appellans eſſe, ſequique ſe jubebat, cunctantem vi abſtracturum. *& poſt,* fit concurſus. *& poſt,* Jam a vi tuta erat, cum aſſertor nihil opus eſſe multitudine concitata ait, ſe jure non vi graſſari: vocat puellam in jus. ad tribunal Appii perventum eſt. notam judici fabulam petitor peragit. puellam domi ſuæ natam, furtoque inde in domum Virginii tranſlatam, ſuppoſitamque ei eſſe, id ſe judicio compertum afferre. Advocati puellæ cum Virginium Reipublicæ cauſa dixiſſent abeſſe, biduo affuturum, ſi ei nunciatum ſit: iniquum eſſe abſentem de liberis dimicare: poſtulant ut rem integram in patris adventum differat: *lege ab ipſo lata, Vindicias*[22] *det ſecundum libertatem,* neu patiatur Virginem adultam famæ prius, quam libertatis periculum adire. Appius decreto præfatur, quam libertati faverit, *eam ipſam legem declarare,* quam Virginii amici poſtulationi ſuæ prætendant. Cæterum ita in ea firmum libertati fore præſidium, ſi nec cauſis, nec perſonis variet. In[23] his enim quæ aſſerantur in libertatem, quia quivis lege agere poſſit, id juris eſſe: in ea quæ in patris manu ſit, neminem eſſe alium, cui dominus poſſeſſione cedat. Placere itaque patrem acceſſiri: interea juris ſui jacturam aſſertorem non facere, quin ducat puellam, ſiſtendamque in adventum ejus, qui pater dicatur promittat. *& poſt,* Id quod conſtat, nudum videtur proponendum, *decreſſe vindicias ſecundum ſervitutem, & poſt:* I, lictor ſummove turbam & da viam domino ad prehendendum mancipium. Cum hæc intonuiſſet plenus iræ, tum Virginius, Quæſo, inquit, Appi, primum ignoſce patrio dolori, ſi quid inclementius in te ſum invectus: deinde ſinas hic coram virgine nutricem percontari: quid hoc rei ſit, ut ſi falſo pater dictus ſum, æquiore hinc animo diſcedam. Data venia, ſeducit filiam ac nutricem prope Cloacinæ ad tabernas, ibique ab lanio cultro arrepto, *Hoc te uno quo poſſum, ait, modo filia in libertatem vindico,* pectus deinde puellæ transfigit, reſpectansque ad tribunal, Te, inquit, Appi, tuumque caput hoc ſanguine conſecro. Hæc Liv. 3.

3. De arboribus cædendis.

Quod ait Prætor & lex XII. Tabularum efficere voluit, *ut quindecim pedes altius rami circumciderentur.* & hoc idcirco effectum eſt, ne umbra arboris vicino prædio noceret. *l.* 1. §. 8 *ff. de arboribus cædendis.*

4. De arboribus ex vicini fundo.

Si arbor ex vicini fundo inclinata in tuum fundum ſit, ex lege XII. Tabularum de adimenda ea recte agere potes, jus ei non eſſe ita arborem habere, *l. ult. ff. de arb. cæd.*

5. De glande legenda.

Cautum eſt lege XII. Tabularum, *ut glandem*[24] *in alienum fundum procidentem liceret colligere.* Hæc Plin. 16. *c.* 5.

TIT. XXIII.

De uſucapionibus.

1. Immobilia biennio: mobilia anno uſucapi.

L*Ex jubet uſum & autoritatem*[25] *fundi*[26], *eſſe biennium*[27] Cicero pro Cæcinna: *cæterarum rerum annuus eſt uſus.* Idem *in Topicis. Inſtit.* de uſucapionibus *l* 13. Cod. *de ſervitutibus.*

2. Titulus in uſucapione requiſitus.

Jure civili conſtitutum fuerat ut qui bona fide ab eo qui dominus non erat, cum crederet eum dominum eſſe, rem emerit, vel ex donatione aliave quavis juſta cauſa acceperit, uſucaperet. Inſt. de uſucapionibus.

3. Quibus in locis annalis & biennalis uſucapio locum habuerit.

Jure civili conſtitutum fuerat, *ut res mobiles, anno ubique uno: immobiles, biennio tantum in Italico*[28] *ſolo uſucaperentur.* Inſt. de uſucap.

4. Res furtivæ aut vi poſſeſſæ non uſucapiuntur.

Furtivarum rerum lex XII. *Tabul. & lex Atilia*[29] *inhibent*[30] *uſucapionem:* vi poſſeſſorum, lex[31] Julia & Plautia[32]. §. 2. *Inſtit. de uſucapionibus.*

5. Res civium Romanorum a peregrino non uſucapi.

Hoſtis apud majores noſtros is dicebatur quem nunc peregrinum dicimus. Indicant enim XII. Tabulæ *Adverſus hoſtem æterna auctoritas*[33] *eſto.* Hæc Cic. 1. *offic.*

1 *Cujacius* legit *pedeinde* ἀρχαϊκῶς. *poſtidea.* Scaliger *apud Feſtum in Nervum.* 2 Faxit, ne mut quips endo eo in jure vindex eſit ſecum ducito. *Rævard.* Porro Nemut ἀρχαϊκῶς pro niſi Feſto. 3 Quips endo eo &c. quips antique, pro quiſpiam. 4 Vindicit, id eſt vindicaverit. eadem forma quo veteres lavit, ſonit. vid. Cujac. 3. *obſerv.* 39. 5 Græci hunc nervum vocabant κᾶλον. vid. Joſeph. Scaliger *apud Feſtum in Nervum.* 6 Ne majore, aut ſi volet, minore Cujac. *d. loco.* 7 Libras S. farris. Fornerius 1. *Select.* 6. ita emendat, eo ſenſu libras S. id eſt, ſelibra. movetur illo Plutarchi loco *in Camillo* ὅσον ἡμέρας ἑκάστης ἐλάμβανεν εἰς τροφὴν· σίτου μὲν ἡμιλίτρον φαρός. quod a Cujacio non probatur. 9. *obſ.* 37. 8 Endo die. ἀρχαϊκῶς alii endo die. Endo, pro In. ſic Endoitium Initium: Feſtus *in Endoitium.* Endoplorato, implorato. Feſtus *in Endoplorato.* Endoprocinctu, in procinctu, Feſtus *in Endoprocinctu.* 9 Veſtigia hujus ſententiæ extant in *l.* 60. *ff. de pact. l.* 9. §. 5. *ff. de jurejurando. l.* 25. *ff. de reb. auctorit. judicis.* 10 Hi duo menſes non ſunt judicati faciendi ſeu pignorum vendendorum, ut dixi ad *l.* 31. *in fin. ff. de re judicata.*

11 Pro portione hereditaria. *l.* 1. *C. de exceptionibus,* pro parte competente *l.* 1. *C. de hereditar. act.* pro portionibus hereditariis. *l.* 1. *C. ſi certum. l.* 23. *C. familiæ* pro hereditariis partibus. *l.* 2. *C. de hereditar. act.* adde *l.* 2. §. 2. *ff. de verb. oblig.*

12 Feſtus *in Superſtites.* Superſtites teſtes præſentes ſignificat, cujus rei teſtimonium eſt quod ſuperſtitibus præſentibus, ii inter quos controverſia eſt, *vindicias ſumere jubentur.* 13 *Joſephus Scaliger* apud Feſtum dicto loco hanc legem ita refert, *ſei quei in jure manum conſerunt, utreique ſuperſtitibus* (id eſt, teſtibus) *præſentibus vindicias ſumito.* 14 Lege in longinquas regiones. 15 Actor cum in jus vocaſſet adverſarium hac in jure formula utebatur, Fundus qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, ego eum ex jure meum eſſe ajo: inde ego te ex jure manu conſertum voco. Citatus vero reus hac formula utebatur: unde tu me ex jure manu conſertum vocaſti, inde ego te revoco. Idque ex Cicerone *pro Murena* colligi poteſt. 16 Vid. conſuetudinem regni Daciæ. *c.* 2. *extra. de conſuetudine.* 17 Adde Arnob. 4. *adverſus gentes.* 18 Cujacius ita emendat. 5. *obſ.* 22. 19 De duplis fructibus, vid. Cujac. *d. loco.* 20 Vide quæ ſcripſi ad *l.* 14. *C. de liberali.* 21 Adde Senecam 3. *Controverſ.* 9. 22 Homines apud ſequeſtres deponi potuiſſe teſtatur Ulpianus *l.* 7. *ff. depoſiti.* Plautus *in Mercatore,* ibi: Imo ſequeſtro mihi data eſt. 23 Obſerva calumnioſam legis interpretationem & reſtrictionem. 24 Cajus *libro* 4. *ad legem* 12. *Tabularum:* Glandis appellatione fructus omnis continetur ut Javolenus ait, exemplo Græci ſermonis, apud quos omnes arborum ſpecies ἀκρόδρυα, id eſt, extremitates arborum, appellantur. *l.* 236. *in fin. ff. de verb ſignif.*

25 Uſus & auctoritas, hic eſt uſucapio. Horat. 2. *epiſtol Quadam, ſi credis, conſultis mancipat uſus.* per uſum adquirere eſt uſucapere. *l.* 19. *ff. ex quibus cauſis majores.* 26 An & ædium? ſic videtur. Cicero *in Topicis.* Quod in re pari (inquit) valet, valeat & in hac, quæ par eſt: ut quoniam uſus autoritas fundi, biennium eſt: ſic etiam ædium. at (lege *etſi*) in lege ædes non appellantur, & (lege *nec*) ſunt cæterarum omnium, quarum annuus eſt uſus. Hæc ille. quid ſervitutes? viam, iter, actum, aquæductum, qui biennio uſus non eſt, amiſiſſe videtur. vid. Paul. 1. *ſent.* 17. §. 1. 27 Hoc jus abrogatum eſt. Nam hodie res mobiles per triennium: Immobiles, decennio inter præſentes: vicennio inter abſentes uſucapiuntur. *Inſt. de uſucap. l.* 13. *C. de ſervitutibus.* Paul. 5. *ſentent.* 2. §. 3. 28 Hodie non ſolum in Italia, ſed in omni terra, quæ imperio Romano gubernatur, res mobiles triennio: res immobiles decennio inter præſentes, vicennio inter abſentes uſucapiuntur. *Inſt. de uſucap.* 29 Atinia *l.* 33. *ff. de uſurp. & uſucap.* Gellius 17. *cap.* 7. *legis,* inquit, *Atiniæ verba ſunt: Quod ſurreptum erit, ejus rei æterna autoritas eſto.* 30 Omnino ſcil. adeo ut bona fides poſſidentem non juvet *d.* §. 2. *l.* 24. *ff. de uſurp. & uſucap.* 31 *l. ult. ff. vi bonorum rapt.* 32 *l.* 33. §. 2. *ff. de uſurp. & uſucap.* 33 Autoritas quid eſſet ſuperius explicatum eſt.

6. De muliere uſucapta & uſurpata.

Quintum Mucium juriſconſultum dicere ſolitum, *lege non eſſe uſurpatam*[1] *mulierem, quæ cum Kalendis Januariis apud virum cauſa matrimonii eſſe cœpiſſet, ante diem quartum Kalendas Januarias ſequentes uſurpatum eſſet.* Non enim impleri poſſe trinoctium, quod abeſſe a viro uſurpandi cauſa ex XII. Tabulis deberet, quoniam tertiæ noctis poſteriores ſex horæ alterius anni eſſent. Gell. 2. *in fin.* 3. qui inciperet ex Kalendis. Virgilius quoque id ipſum oſtendit, *Torquet* (inquit) *medios nox humida curſus. Et me ſævus equis oriens afflavit anhelis.* Macrob. 1. *Saturn.* 3.

7. De veſtibulo ſepulchri.

Quod forum, id eſt veſtibulum ſepulchri, buſtumve uſucapi vetat, tuetur jus ſepulchrorum. Cic. 2. *de legibus.*

TIT. XXIV.

De privatis delictis & de furto.

1. Nocturnum furem quoquo modo poſſe occidi.

NOn abs re puto hoc loco id quoque admonere, quod Decemviri in XII. Tabulis inuſitatiſſime Nox pro[2] noctu dixerunt. Verba hæc ſunt: *Si nox furtum factum ſit, ſi im*[3] *aliquis occiſit, jure cæſus eſto*[4]. Macrob. 1. *Saturn.* 4.

Cicero pro Milone, XII. *Tabulæ nocturnum furem quoquo modo interfici impune voluerunt*[5].

Cajus *in l.* 4. §. 1. *ff. ad l. Aquil.* lex XII. Tabularum *Furem noctu deprehenſum occidere permittit.*

Gellius 11. *c.* 18. Decemviri noſtri poſt reges exactos leges quibus P. Romanus uteretur in XII. Tabulis ſcripſerunt. *Furem qui manifeſto furto deprehenſus eſſet, tum demum occidi permiſerunt, ſi aut cum faceret furtum nox eſſet,* aut interdiu ſe telo, cum prehenderetur, defenderet.

2. Interdiarium furem ſe defendentem poſſe occidi.

Furem interdiu[6] *deprehenſum non aliter occidere lex* XII. *Tabularum permiſit, quam ſi ſe telo*[7] *defendat.* Cajus *in l.* 54. §. 2. *ff.* de furtis.

Interdiu deprehenſum furem ita permittit lex occidere, ſi is ſe telo defendat, ut tamen æque cum clamore teſtificetur[8]. *l.* 4. *in fin. ff.* ad l. Aquil.

Duodecim Tabulæ, furem diurnum, ſi ſe telo defenderit, interfici impune[9] *voluerunt.* Cicero *pro Milone.*

Decemviri qui poſt reges exactos leges quibus P. Romanus uteretur in XII. Tabulis ſcripſerunt, *furem tum demum occidi permiſerunt, ſi interdiu ſe cum telo, cum deprehenderetur, defenderet.* 11. Gell. 18.

Si quis furem occiderit, injuria occiderit. quamobrem? quia jus nullum conſtitutum eſt. Quod ſi ſe telo defenderit? non injuria. quid ita? quia conſtitutum eſt. Oratio pro M. Tullio apud Quintil. *l.* 5.

Hoc & in legibus antiquis ſecularibus invenitur, *impune occidi nocturnum furem quoquo modo: diurnum ſi ſe cum telo defenderit: jam enim plus quam fur eſt.* Auguſt. 11. *ſuper Exod.*

3. De pœna furis manifeſto deprehenſi.

Decemviri noſtri qui poſt reges exactos leges quibus P. Romanus uteretur in XII. Tabulas retulerunt, neque pari ſeveritate in puniendis omnium generum furibus, neque remiſſa nimis lenitate uſi ſunt. *Furem qui manifeſto furto prehenſus eſſet, tum demum occidi permiſerunt, ſi aut cum faceret furtum nox eſſet,* aut interdiu ſe cum telo defenderet. *Ex cæteris autem manifeſtis furibus, liberos verberari*[10], *addicique juſſerunt ei cui furtum factum eſſet, ſi modo id luci feciſſent, neque ſe telo defendiſſent. Servos autem furti manifeſti prehenſos, verberibus affici & e*[11] *ſaxo præcipitari. pueros impuberes*[12] *Prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxamque ab his factam ſarciri.* Hæc Gell. 11. *c.* 18.

4. De pœna furti non manifeſti.

Aliis furtis omnibus quæ non manifeſta appellantur pœnam impoſuerunt dupli[13]. Hæc Gell. 11. *c.* 18.

5. De furto paciſci[14] licet.

Nec conjunctionem Grammatici fere dicunt eſſe disjunctivam, ut Nec legit, nec ſentit: cum ſi diligentius inſpiciatur, ut fecit Sinnius Capito, intelligi poſſit eam poſitam eſſe ab antiquis pro non, ut & in duodecim eſt. *Si adorat*[15] *furto*[16], *quod nec manifeſtum erit*[17]. & apud Plautum in Phaſmate: Nec recte ſi illi dixerim. & Turpilium in Demetrio: Nec recte dici mihi quod jamdudum audio. Hæc Feſtus in voce *Nec.*

6. De furto[18] per lancem & licium concepto.

Decemviri in XII. Tabulis *ea furta quæ per lancem*[19] *& licium concepta eſſent, perinde ac ſi manifeſta forent, vindicaverunt.* Hæc Gell. 11. *c.* 18.

Furtorum quæſtiones *cum lance & licio evanuerunt*[20]. Hæc Gell. 16. *c.* 10.

7. De Tigno juncto.

Tignum[21] non ſolum in ædificiis quo utimur appellatur, ſed etiam in vineis, ut eſt in XII. *Tignum*[22] *junctum*[23] *ædibus vineæque*[24] *& concapu*[25] *ne*[26] *ſolvito.* Hæc Feſtus *in Tignum.*

Lex XII. Tabularum, tignum ædibus junctum vindicare poſſe ſcit, ſed interim id ſolvi prohibuit pretiumque ejus dari voluit *l. Qui res.* 98. *in fin. ff. de ſolutionibus.* Tignum alienum ædibus junctum nec vindicari poteſt propter leges XII. Tabul. nec eo nomine ad exhibendum agi, niſi adverſus eum, qui ſciens alienum junxit ædibus: ſed eſt actio antiqua de Tigno juncto quæ in duplum ex Lege XII. Tabular. deſcendit *l. in rem.* 23. §. *Tignum.* 6. *ff. de rei vind.*

8. Arborum furtim cæſarum.

Fuit & arborum cura legibus, cautumque eſt XII.[27] Tabulis ut *qui injuria arbores*[28] *alienas cecidiſſet, lueret in ſingulas æris* XXV. Hæc Plin. 17. *c.* 1. Colonus, cum quo forte propter ſucciſas arbores, ſive e lege XII. Tabular. de arboribus ſucciſis, ſive e lege Aquilia damni injuria, ſive interdicto quod vi aut clam poſtea convenietur per exceptionem jurisjurandi defendi poterit. *l. in duobus.* 28. §. *Colonus.* 6. *ff. de jurejurando.*

9. De paſtu, ſectioneque frugum.

Frugem aratro quæſitam furtim noctu paviſſe aut ſecuiſſe puberi XII. *Tabulis capitale erat: ſuſpenſumque*[29] *Cereri necari jubebant gravius quam in homicidio convictum. Impuberem Prætoris*[30] *arbitratu verberari, noxamque*[31] *duplione*[32] *decerni.* hæc Plinius 18. *c.* 3.

10. De paſtu pecoris.

Si glans ex arbore tua in meum fundum cadat, eamque ego immiſſo pecore depaſcam: Ariſto ſcribit, non ſibi occurrere legitimam actionem qua experiri poſſim. Nam neque ex lege XII. *Tabularum de paſtu pecoris*[33], *quia nec in tuo paſcatur:* neque de pauperie, neque damni injuria agi poſſe, in factum itaque erit agendum *l.* 14. *in fin. ff. de præſcriptis verbis.*

11. De ſarptis vineis.

Sarpuntur vineæ id eſt putantur, ut in XII. quandoque ſarptæ, donec dempta erunt. Feſtus *in ſarpuntur.*

12. De incendio.

Cajus *l.* 4. ad legem XII. Tabularum, *Qui ædes*[34] *acervumve frumenti juxta domum poſitum combuſſerit*[35], *vinctus, verberatus igni*[36] *necari jubetur. l.* 9. *ff.* de incendio.

TIT. XXV.

De injuriis.

1. Pœna injuriarum ordinaria vigintiquinque aſſes.

NOnne tibi videtur eſſe dilutum, quod de injuria punienda ſcriptum eſt, *Si injuria* [lege *injuriam*] *alteri faxit, vigintiquinque æris*[37] *pœna*[38] *ſunto.* Quis enim erit tam inops, quem ab injuria facienda [Pithœus legit injuriæ faciendæ libidine] vigintiquinque aſſes deterreant? & poſt, Lucius Neratius pro delectamento habebat, os hominis liberi manus ſuæ palma verberare. Eum ſervus ſequebatur crumenam aſſium plenam portans: & quemcunque depalmaverat, numerari ſtatim, *ſecundum* XII. *Tabul.* 25. aſſes jubebat. Propterea Prætores hanc legem aboleſcere & relinqui cenſuerunt, injuriiſque æſtimandis recuperatores ſe daturos, edixerunt: *& poſt,* non omnino omnes injurias ære iſto pauco diluerunt, tametſi hæc ipſa paucitas aſſium, grave pondus æris fuit. Nam librariis aſſibus in ea tempeſtate populus uſus eſt: ſed injurias atrociores, ut de oſſe fracto, non liberis modo, verum etiam ſervis factas impenſiore damno vindicaverunt. Hæc Gellius 20. *c.* 10.

Paulus libro ſingulari, & titulo de injuriis apud Ruffinum *Titul.* 2. *Collationis legum Moſaicarum.* Injuriarum[39], inquit, actio aut legitima eſt aut honoraria. legitima ex lege XII. Tabul. *Qui injuriam alteri facit quinque & viginti ſeſtertiorum pœnam ſubit. quæ lex generalis fuit libero trecentos*[40]*: ſervo* CL. *pœnam ſubito ſextertiorum.*

1 De uſurpatione, vid. *l.* 2. *C. de uſucap.* uſurpationis verbum ex 12. Tabulis eſſe hinc conſtat. & quidem Appius Claudius proxime poſt 12. Tabulas de uſurpationibus ſcripſit. *l.* 2. §. 36. *ff. de origine juris.* de uſucapionibus etiam aliquid ex Quinto Mucio hic affertur a Gellio & Macrobio, ſic longa poſſeſſio jus ſepulchri non tribuit ei, cui jure non competit. *l.* 4. *ff. de mortuo inferendo.* lege naturæ communique gentium jure ſancitum eſt, ut nihil mortales a diis immortalibus uſucapere poſſint. Cic. *in oratione de Aruſpicum reſponſis.* 2 Nox pro noctu. 3 Id eſt, eum. Ducitur autem hæc particula a nominativo Is. Macr. 1. Satur. 4. 4 Ut tamen is, qui occidit, cum clamore teſtificetur. *l.* 4. *in fin. ff. ad l. Aquil.* Quæ verba, reſtrictionis loco a Juriſconſultis adjecta ſunt. 5 Adde Senecam 10. *Controverſ. ult.* 6 Hac voce veteres ut ſæpius uſi ſunt, ut in *l.* 2. *ff. de furibus balneariis. l.* 4. *ff. ad l. Aquil. de interdiario fure* dixi ad *l.* 54. §. 2. *ff. de furtis.* 7 Cajus *libro* 1. ad legem XII. *Tab.* Telum vulgo appellatur, quod arcu mittitur, ſed nunc omne ſignificatur quod mittitur manu. vid. *l.* 233. §. 2. *ff. de verb. ſignif.* 8 Vel ſi parcere ei ſine periculo ſuo non potuit *l.* 9. *ff. ad l. Corneliam de ſicar.* quæ verba non ſunt legis XII. Tabul. ſed interpretationis Edicti ad *l.* XII. adcommodatæ.

9 Ita ut qui hoc modo interfecerit. Plato 9. *de legibus.* καθαρὸν εἶναι profiteatur. 10 Virgis, ſed hæc pœna in duplum & quadruplum poſtea mutata eſt. *l.* 50. *ff. de furtis.* 11. Gell. 18. lege Draconis quodvis furtum etiam modicum, capitale erat: lege Solonis dupli pœna conſtituta fuit. apud Ægyptios & Lacedæmonios impunitum erat. 11. Gell. 18. 11 Dixi ad *l.* 25. *ff. de pœnis.* 12 Doli capaces. *l.* 9. §. 2. *ff. de minor. l.* 5. §. 2. *in fin. ff. ad l. Aquil. l.* 14. *ff. de SCt. Silaniano: l.* 23. *ff. de furtis: l.* 111. *ff. de regulis juris.* 13 Cato *initio de re ruſtica. Majores,* inquit, *noſtri ſic habuerunt, itaque in legibus poſuerunt, furem dupli damnandum: fœneratorem quadrupli.* 14 Dixi ad *l.* 18. *C. de donationib.* 15 Hoc verbum non accipio ſimpliciter pro agere, ſed pro paciſci: nam inter cætera, adorare ſignificat propitiare, Nonius *in ador.* & alloqui Apulejus 2. infuſa aqua populum ſic adorat. & *lib.* X. ad iſtum modum ſeniore adorante. Conſtatque de furto paciſci. *l.* 7. §. 14. *in fin. ff. de pactis.* ac decidere licuiſſe. *l.* 7. *ff. de condict. furtiva, decidere, inquam, ex legibus l.* 3. *C. de furtis.* adde *l.* 61. §. 1. *ff. de furtis.* 16 Furtum. *Rævard.* 17 Erit, duplione luito. *Rævard.* 18 Labeo *lib.* 2. de XII. Tabulis acria & ſevera judicia de furtis habita apud veteres ſcribit. 19 Hoc quid ſit, dixi ad §. 4. *Inſt. de obligat. quæ ex delicto.* ſed præſtat id ex Feſto audire. Lance & licio inquit, Feſt. *in Licio:* Dicebatur apud antiquos, quia is qui furtum ibat quærere in domo aliena licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrumfamilias & virginum pudorem. Quæri tamen poteſt, qui ita oculos tegeret, quid videre poſſet, quove modo furtum conciperet. ut non injuria Joſephus Scaliger ad illum locum Feſti dixerit, neſcio aliam interpretationem. vide apud Pithœum 1. *adverſar.* 2. adde *l.* 1. *C. Theod. de habitu.* 20 Requiſitio rei furtivæ hodie ſecundum veterem obſervationem non fit, & merito ex conſequentia, præfatæ actiones (concepti ſcilicet & oblati furti, prohibiti, non prohibiti) ab uſu communi receſſerunt. *d.* §. 4.

21 Tigni appellatione in lege XII. Tab. omne genus materiæ, ex qua ædificia conſtant, ſignificatur. *l.* 62. *ff. de verbor. ſignif.* 22 Antiqui Tignom. 23 Junctom, antique. 24 Vineæve. 25 Lege *concapes.* Lignum *concapes* quod habet caput ſuum, cum capite vineæ commiſſum. Caput vineæ eſt radix ipſa: cætera dixi ad *l.* 1. *ff. de tigno juncto.* Eſt qui ita legit *vineai que & capulo ne ſolvito.* Boſſius 1. *ad Attic.* 19. legit *e compage.* 26 Vid. §. 29. *Inſt. de rer. diviſ.* 27 Ex lege XII. Tab. dabatur actio, arborum furtim cæſarum, *l.* 1. *ff. arborum furt. cæſ.* 28 Et maxime vites. hi enim tanquam latrones puniuntur, Cajus *lib.* 1. *ad legem* XII. *Tab.* & *l.* 2. *ff. arborum furt. cæſ.* Porro, arborum appellatione id non continetur quod adeo tenerum eſt, ut herbæ loco ſit, Cajus *libro ad legem* XII. *Tabul.* in *l.* 4. *ff. arborum furtim cæſarum.* 29 Sacratumque. Lipſ. 4. *Epiſtol.* 27. id enim frequens in formulis: Cereri ſacer eſto. Jovi ſacer eſto. 30 Id eſt, Conſulis. Nam Decemvirorum tempore haud tum creati Conſules, ſed id nomen Conſulibus erat. Varro *apud Nonnium.* Iidem dicebantur Conſules & Prætores: quod præirent populo, Prætores: quod conſulerent ſenatum Conſules. 31 Noxæve duplionem decerni. ita emendat Lipſius. 32 Et hæc quidem pœna ad omnes perſonas edicto fuit redacta. *arg. l.* 7. *in fin. ff. arbor. furtim cæſarum,* idque evidentius ex Paulo perſpicitur: *ſive ſegetes,* inquit, *per furtum, ſive qualibet arbores cæſæ ſint, in duplum ejus rei nomine reus convenitur.* Paul. 2. *ſent.* 32. §. 21. 33 Adde *l. pen. C. de leg. Aquil.* Paul. 1. *ſent.* 15. §. 1. 34 Appellatione ædium omnes ſpecies ædificii continentur. Cajus *lib.* 4. *ad l.* XII. *Tabul. in l.* 9. *ff. de incendio.* 35 Sciens ſcil. & prudens. nam ſi caſu aut negligentia: aut noxiam ſarcire jubetur, aut ſi minus idoneus ſit, levius caſtigatur. Cajus *d. loco.* 36 Vid. *l.* 28. §. 10. *ff. de pœnis.*

37 Id eſt, vigintiquinque aſſes: aſſes, inquam, librales. 20. Gell. 1. 38 Pœnæ. 39 Fr. Hotomanus vir de jure Romano & antiquitate meritiſſimus in diſputatione de Aureo Juſtinianeo hunc locum ita legit: Injuriarum actio legitima eſt ex lege XII. Tabular. qua qui injuriam 25. æris pœnam ſubit. quæ lex generalis non fuit. nam qui os fregit, ſi libero 300. ſi ſervo 150. aſſium pœnam ſubit. Profluxit autem is error ex notariorum imperitia, dum librarii L. pro LLS. ſumpſerunt, & e contra. qui error apud Plin. frequens. 40 Locus eſt corruptus.

FRAGMENTA.